

ferro contaminaretur, manu educit. Inde crediderim fuisse parum certum et efficax vulnus. Non fuit Diis immortalibus satis, spectare Catonem semel: retenta ac revocata virtus est, ut in difficiliore parte se ostenderet. Non enim tam magno animo mors initur, quam repetitur. Quidni libenter spectarent alumnum suum, tam claro ac memorabili exitu evadentem? Mors illos consecrat, quorum exitum et qui timent, laudant.

III. Sed jam procedente oratione ostendam, quam non sint, quae videntur, mala. Nunc illud dico, ista quae tu vocas aspera, quae adversa et abominanda, primum pro ipsis esse, quibus accidunt; deinde pro universis, (quorum major diis cura est, quam singulorum); post haec, volentibus accidere; ac dignos malo esse, si nolint. His adjiciam, fato ista fieri, et recte eadem lege bonis evenire, qua sunt boni: persuadebo inde tibi, ne unquam boni viri miserearis; potest enim miser dici, non potest esse. Difficillimum, ex omnibus quae proposui, videtur quod primum dixi: pro ipsis esse, quibus eveniunt ista, quae horremus ac tremimus. Pro ipsis est, inquis, in exilium projici, in egestatem deduci liberos, conjugem efferre, ignominia affici, debilitari? Si miraris, hoc pro aliquo esse, miraberis quosdam ferro et igne curari, nec minus fame ac siti. Sed si cogitaveris tecum, remedii causa quibusdam et radi ossa et legi, et extrahi venas, et quaedam amputari membra, quae sine totius pernicie corporis haerere non poterant: hoc quoque patieris probari tibi, quaedam incommoda pro his esse, quibus accidunt; tam mehercules, quam quaedam quae laudantur atque appetuntur, contra eos esse, quos delectaverunt simillima cruditatibus, ebrietatibusque, et ceteris, quae necant per voluptatem. Inter multa magna Demetrii nostri et haec vox est, a qua recens sum, (sonat adhuc et vibrat in auribus meis): «Nihil,» inquit, «mihi videtur infelicius eo, cui nihil unquam evenit adversi.» Non licuit